

ciā deferrentur , detecta , ac patefacta sua consilia Borbonius persentiens , duobus tantum comitatus , clam ad Sequanorum fines , qui Cæsari parebant , se recepit .

Rex de illius fuga edoctus , cum Germanos pedites Burgundiæ finibus appropinquare audivisset , periculi plenum esse ratus , si in regni visceribus atrocissima conjuratione patefacta , illo deserto , in Italiā proficeretur , Gulielmum Gauferium maris Præfectum (Galli *Admirallum* vocant) in Italiā mittit ; qui cum mille octingentis cataphractis , totidem levioribus equitibus , ac triginta millium peditum numero , nullo obsidente , Insubrum ditionem ingressus , usque ad Ticinum amnem pervenit . In itinere Novaria , quæ , consulto Francisco Sfortia , arce excepta , ditionem fecit , ac Viglevano receptis : nam Prosper Columna cum motus in Galliis , quos Borbonius conciverat , Regisque de profectione immutatum consilium intellexisset , in eam spem adductus fuerat , ut hoc anno Italica expeditio intermitteretur ; quocirca nihil earum rerum , quæ , vel ad repellendos hostes , vel ad civitates ab eorum impetu tutandas pertinerent , comparaverat ; inopinatoque hostium adventu , neque milites , qui ad pauciorem numerum redacti erant , aut agere , aut colligere , neque bellica tormenta parare , nec mœnia diruta , strataque reficere , aut munitiones erigere potuerat : id illi eo rerum statu unum erat consilium , ad Ticinum amnem coactis copiis , Gallos transitu prohibere . Itaque quatuor Hispanorum , totidemque Germanorum peditum millibus , ac equitibus quotquot poterat collectis , ipse , licet gravi morbo conflictatus , lectica deferri , atque in citeriori fluminis ripa consistere voluit . Verum secus , atque ille reputaverat , accidit ; cum enim ad amnem Galli pervenissent , pertentatisque vadis , ob diuturnam siccitatem facilem transsum fore animadverterent , ad quatuor millia passuum ab hostium castris , nullo contranitente , idibus septembris , pars peditibus , pars lembis flumen tranarunt , eidem ponte superjecto , quo tuto tormenta bellica duci possent . Columna inani eventu consilium cecidisse sero inspiciens ; gravioribus tormentis Mediolanum præmissis , eodem cum exercitu contendit : qua ex re tantum timoris , ac trepidationis urbi injectum fuerat , ut , si ea occasione usus Gauferius , confessim cum copiis adfuisset , civitate potitus foret .

*Gauferii in
Italiā ad-
ventus.*